



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Theologia Moralis**

**Reiffenstuel, Anaklet**

**Monachii, 1699**

VI. Quæ Indulgentiæ per Paulum V. revocatæ, ac de novo Regularibus concessæ fuerint?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40206**

Non valens intrare Ecclesiam, an foris lucratur Indulgentias?

61. Quæritur VI. Utrum non valens intrare Ecclesiam, sive ob multitudinem hominum, sive quia eam clausam reperit, possit lucrari Indulgentias, visitantibus talem Ecclesiam concessas, orando ante fores, vel in Cæmeterio ipsius? Resp. affirmative: nam talis censetur moraliter Ecclesiam visitare, & in ipsa orare; simulque in favorabilibus, nomine Ecclesiæ etiam Cæmeterium comprehenditur.

Quid de Indulgentia concessa visitantibus 5. Altaria?

62. Secus dicendum de Indulgentia concessa visitantibus quinque Altaria: licet enim existens, atque orans in Cæmeterio, dicatur moraliter visitare Ecclesiam; non tamen censetur moraliter visitare hoc, vel illud Altare. Itaque ad visitanda Altaria oportet ingredi ipsam Ecclesiam, atque eadem vel motu locali devotè invisere, vel saltem in loco ac situ existere, unde se se convertendo ad quodlibet eorum, sicque orando, moraliter censeri possit unumquodque ipsorum visitasse; nam motus localis ad hoc simpliciter necessarius non est. Lugo cit. disp. 27. n. 98. Maltrius loc. cit. num. 23. & alij.

## Q U Æ S T I O VI.

Quæ Indulgentiæ per Paulum V. revocatæ, ac de novo Regularibus concessæ fuerint?

Paulus V. revocavit Indulgentias Regularibus concessas.

63. **A**Dvertendum, quod Paulus V. per specialem Bullam, quæ incipit, *Romanus Pontifex*, die 23. Maij. 1606. edita (estq; in Bullario Romano. tom. 3. ac inter ejus Constitutiones ordine 21.) ob varia dubia, incertitudinem & confusionem earum, omnes & singulas Indulgentias quibuscumque Ordinibus, & Institutis Regularibus hujusmodi, etiam Mendicantibus, & quibuslibet personis Regularibus concessas, perpetuò revocaverit; atque ipsarum loco novas concesserit. Quia verò nonnulli postmodum audebant asserere, priores Indulgentias esse denuò renovatas, Alexander VII. ad istum errorem submovendum, inter alias Propositiones etiam sequentem, ordine 37. damnavit: *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocata à Paulo V. hodie sunt revalidatæ.* His præsuppositis, sit

Et quas generatim?

64. CONCL. I. Generatim loquendo, per Bullam Pauli V. revocatæ sunt illæ solæ Indulgentiæ, quæ directè ac principaliter concessæ fuerunt ipsis Religiosis, ac Monialibus. Ita Gobat. loc.

loc. cit. num. 546. Bonagratia Habsensis in Summula Questionum Regularium, §. Indulgentia. num. 221. & alij. Siquidem Paulus V. ibidem asserit, à se revocari Indulgentias quibuscunque Ordinibus, & Institutis, & personis Regularibus concessas: quæ verba, cum sint correctiva Jurium antiquorum, sunt strictè intelligenda, videlicet de illis solis, quæ ipsis Ordinibus, & personis Regularibus concessæ fuerunt: ut v. g. quoties FF. Minores celebrant, vel communicant, Indulgentiam plenariam consequantur, si id fecerint in die Dominico, aut Festis Domini, vel B. Mariæ Virginis; aut quoties Religiosi dicerent Psalmum Miserere, & huiusmodi.

65. Colligitur proinde, quòd per dictam Bullam non sint revocatæ Indulgentiæ, quæ promiscuè concedebantur Religiosis & Sæcularibus. Neque illæ, quæ concessæ sunt universis Christi Fidelibus, visitantibus in certis Festivitatibus Ecclesias Regularium; cum hi non debeant esse deterioris conditionis, quàm alij Fideles. Neque eæ, quæ concessæ fuerunt Sæcularibus, ut puta parentibus, cognatis, intuitu Religiosorum; aut ipsis Religiosis pro Animabus Purgatorij, ac huiusmodi: nam tales non fuerunt directè concessæ ipsis Regularibus.

66. CONCL. II. Indulgentiæ indubitata, ac per Paulum V. de novo concessæ omnibus personis Regularibus quorumvis Ordinum, sunt sequentes. I. Habitum Regularem à legitimis Superioribus causâ profitendi in eo suscipientibus, & verè poenitentibus, confessis, ac Sacram Communionem refectis, Indulgentia plenaria. II. Professionem (ut supra) emittentibus, Indulgentia plenaria. III. Cuilibet Religioso intra Claustra sui Monasterij viventi, qui in Festo principali sui Ordinis confessus, & Sacram Communionem refectus fuerit, aut Missam celebrans pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderit, Indulgentia plenaria.

67. IV. In cujuslibet vero mortis articulo, si pariter verè poenitens & confessus, & Sacram Communionem refectus, vel si id facere nequiverit, saltem contritus, nomen IESU ore, si potuerit, sin autem, corde devotè invocaverit, Indulgentia plenaria. V. Qui primam Missam canonicè promotus, & confessus celebrabit, vel confessus & communicatus eidem Missæ interfuerit, aut ipso die Missam similiter celebrabit, Indulgentia plenaria. VI. Spiritualia Exercitia per decem dies facientibus, Indulgentia

Ggggg

Corollaria  
circa non re-  
vocatas.

Indulgentiæ indubitata, ac per Paulum V. de novo concessæ Regularibus.

I.  
II.  
III.

IV.

V.

VI.

na

tia plenaria. Ubi tamen sciendum, quòd novissimè Alexander VII. in Bulla, *Cum sicut* (& habetur tom. 5. Bullarj Romani, *Constit. 68. dicti Pont.*) hujusmodi Indulgentias plenarias concesserit FF. Minoribus, qui per otidium vacaverint Exercitijs spiritualibus.

VII.

68. VII. Religiosi intra Claustra viventes, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, & ut præfertur, oraverint, consequuntur easdem Indulgentias, quas visitantes Ecclesias Urbis extra eam diebus Stationum consequuntur, in omnibus diebus perinde ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent. Circa hoc autem notandum est Decretum Sacræ Congregationis (c) quæ Indulgentias Stationum Urbis, quæ à Romanis Pontificibus singulari quodam beneficio vel communicata sunt, vel communicabuntur interdum aliis locis, Ordinibus, aut personis, diebus tantùm Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse declarat. Ita Decretum.

(c) *Suprà*  
n. 57. *citatum.*

VIII.

69. VIII. Omnibus Religiosis intra Claustra viventibus, qui quinquies Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam ante Altare eorum Ecclesiæ dixerint, in quolibet die quinque annos, & totidem Quadragenas. IX. Easdem Indulgentias lucrantur existentes extra Claustra de licentia suorum Superiorum tanquam Prædicatores & Lectores, si dictas preces ante quodlibet Altare dixerint. X. Religiosi, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ horæ Orationem mentalem fecerint, ac confessi, & Sacram Communionem ultimam Dominicam mensis refecti fuerint, lucrantur sexaginta annos, & totidem Quadragenas.

XI.

70. XI. Qui vero contrito corde & poenitentes eorum culpas & peccata, ac imperfectiones in Capitulis culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, & exercitium virtutum facient, tres annos & totidem Quadragenas. XII. Missiones ad Terras Infidelium acceptantibus, &c. Indulgentia plenaria. XIII. Orationibus quadraginta Horarum per Superiores Ordinum indictis in Visitationibus Generalibus, qui spatio duarum horarum interfuerint, &c. Indulgentia plenaria. Patent

XII.

XIII.

hæc omnia ex cit. Bulla Pauli V. unde desumpta sunt.

DECE ) ( DECE

QUE.